

homini jam perfecto & esse specificum habenti adjungatur, & nobilioris in eo operationis alicujus, puta intellectio- nis, causa sit? *Averroës l. 2. de Anim. com. 5.* (quæ sententia et- iam *Philopono & Themistio à B. Scheiblero in tract. de Anim.* tribuitur) in ea fuit sententia, formam hominis informan- tem esse *facultatem cogitativam*, quam ita appellat, & à phan- tasia diversam facit; atq; per hanc hominem certam animalis speciem constituere autumat: Animam verò rationalem esse tantùm formam assistentem. At enim verò hanc sententi- am longissimè à veritatis tramite aberrare qui non videt, helleboro indiget, quò caput purget: Nam si anima ratio- nalis non esset forma hominis informans, homo nullo jure posset dici rationalis, (quemadmodum & navis, etiamsi nauta qui in eo est, ratiocinatur, non potest intelligens & ra- tionalis dici quod absurdum, quia homo verè intelligit & ratiocinatur, ut cuique per experientiam constat. Deinde homo per animam rationalem à cæteris animantibus dif- fert, & primò per illam ab ipsis distinguitur, ergò anima ra- tionalis est forma informans hominis. Antecedens dupli- citer probatur (1.) quia homo differt specie ab aliis, quate- nus est rationalis, est verò rationalis per animam rationalem; (2.) quia per id unaquæque res differt ab alia, quod ei est primum principium propriarum suarum operationum, pro- priæ verò operationes propriam arguunt formam: sed ani- ma rationalis est tale principium, ergò per animam ratio- nalem homo differt specie à cæteris animantibus.

*§. 16. Inquis:* Si anima intelligens, quæ talis, est forma informans & per se unita corpori, tum illa unio vel est sub- stantia ipsius animæ vel est accidens: Si substantia, ergò dis- soluta unione substantia perit, & sic anima corrumpitur; si accidens, tum vel est separabile vel inseparabile: Si insepa- rabile, ergò eò remoto simul anima destruitur alioquin non esset inseparabile. Si separabile, ergò potest manere anima unita corpori absque unione, quod est impossibile, & con- sequenter anima per se non est unita corpori, nec ejus forma